

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICA
DE
TARTARIS,

Quam

publicè exqvirendam & excutiendam proponit

PRÆSES

M. ANDREAS *Weber* /

Bojanovâ-Polonus,

RESPONDENTE

GODOFREDO PEUCERO,

Berolstad. Silesio,

IN AUDITORIO MINORI,

Ad Diem 23. Martii, An. Chr. 1689.

WITTENBERGÆ,

TYPIS JOHANNIS WILCKII.

DISERTATIO HISTORICA
DE

TARTARIS.

PATRIÆ

&

PATRONIS.

F. XXXI 2/2

GODOFREDO FENICERO.

Heroldus. Silesio.

IN ALDITORIO MINORI.

Ad Diem 23. Martii. An. Chri. 1689.

WITTENBERG.

WITTENBERG.

Typis JOHANNIS WILCKII.

I. N. J.

§. 1.



Artarorum nomen

inde à Seculo post natum
Christum tertio decimo,
qvo primùm innotuit, ad
nostra usq; tempora Po-
loniæ cum primis terribi-
le extitit atq; infaustum.
Sub initia enim Lesci cla-

vum Reipublicæ Polonicæ tenentis, ferox iste
barbarusq; populus ex Asia egressus, à mari Cas-
pio & monte Imao, in Cherlonesum Tauricam
primùm, mox in Podoliæ Russiæq; fines sese effu-
dit. Postqvam ibi novi dominatus sedem consti-
tuit, ad vicinos imperum convertit, magnamq;
orbi Christiano calamitatem attulit, atq; in Polo-
niam Silesiamq; primam irruptionem fecit. Mox
Ligniciam usq; castra movit, & latè terrorem cir-
cumtulit, stragemq; edidit horrendam, adeo ut
aures, quæ ab interfectorum capitibus recisæ e-
rant, aliquot capaces saccos implere perhibean-
tur. Nisi tunc Ottogarus Bojemix Rex, & Frideri-
cus Austriæ Dux restitissent Tartaris, in mediam

*Vid. Petrus
de Vineis lib.
1. Ep. XXIX.*

*Irruptionem
Tartarorum
significavunt
prodigia in
aëre & calo-
re, in primis co-
meta, malo-
rum nuncijs,
de quo lega-
tur Pastorius
Flori Polon.
p. 81.*

prope Germaniam penetrassent. Nec mitiora erant subsequendum temporum fata, quando sub Lesco Nigro Tartari iterum magno subitoq; impetu Poloniam invaserunt, ut inter capros plus quam viginti millia virginum innuptarum reperia fuerint. Non commemorabo nunc, quam infestam habuerint Poloniam iidem, sub Vladislao & Johanne Alberto Regibus; silentio præteribo propiora nostræ ætati bella: satis erit ad præsentia oculos intendere, ubi reperiamus regnum Poloniæ, præ aliis Europæ regnis, Tartarorum incursionibus maximè obnoxium fuisse. Cujus mali causâ à nudatis Poloniæ finibus repetenda est, qui amissâ Valachiâ & Moldaviâ, ereptâq; Podoliæ urbe Cameneciâ, vago ferociq; hosti liberiùs patent. Tum rapinis assveta gens ferarum instar regiones incurfat, vicinosq; obruit, & ubi resistentes ac expeditos videt, veloci equitatu ac levi armaturâ se proripit ac fugit.

§. 2. De quibus cum scribere aggredior, priùs in nomen inquiram, & unde appellati sint, scrutabor. *Thuanus* magnus prudensq; Scriptor, tres diversas recenset sententias. Quidam à Tataro, s. Tartaro fluvio, in Asia Tartarica non obscuro, cujus accolæ Sumogli, deducunt, inter quos *Leunclavius* & *Gölnitzius* reperiuntur. Alii Tataros lingvâ Syrâ residuos ac reliquos dici autumant, qvasi

Lib. hist.
LXVII. conf.
Leunclavius,
Cluverus In-
rod. Geogr.
p. 384. sigil-
latim Fulle-
rg Miscellan.

Quasi ex facie Israëlitarum relictū fuerint ac remanse-
rint. Alii deniq; a tribu quadam Scytharum Tatar ar-
cessunt, unde quidam Senex se ducem reliquorum
constituisse fertur, cujus consilio & ductu ē finibus
suis emigrantes, in vastissimas Asiæ & Europæ regio-
nes se diffuderint & amplificarin.

p. 171. 173.
sequ.

§. 3. Quæcunq; tandem hujus appellationis ratio
sit, hoc pro certo affirmandum est, nomen Tartaro-
rum An. Chr. 1228. celebrari cœpisse, quo bipartito
agmine Europam & Asiam eodem tempore oppu-
gnarunt. Gentem esse Scythicam nemo historiæ ve-
teris peritus dubitat, in quam optimè quadrant, quæ
de veteribus Scythis narrant *Curtius & Justinus*.
Hinc ipsi Tartari maximè gloriantur antiquitate gen-
tis suæ Scythicæ, asseverantes, eam semen esse Abra-
hæ, & nemini serviisse unquam, quamvis interdum
ab Alexandro, Dario, Cyro, Xerxe, aliisq; regibus ve-
xatam esse fateantur. Quorsum vid. *Michalo Litva-*
mus. Hi Scythæ ab initio in septem tribus, vulgò *hor-*
das vocant, distributi erant, quarum hæc nomina,
Tatar, Tangur, Cumat, Tatair, Sonich, Mongli, Tebeta;
& angustam inter Riphæos montes & mare Caspi-
um regionem in Asia incolebant. Quæ cum non am-
plius ferre posset populum tam amplum & nume-
rosum, senex quidam Scytharum prudentiâ egre-
gius, ē tribu Tatar oriundus, Changius vulgò dictus,
sociis se Ducem præbuisse traditur, qui simul ex ora
illa

Petrus de
Vincis &
Thuanus
loc. cit.

Cluver. In-
tród. Geo-
graph. p.
352. Fulle-
rg. Miscell.
loc. cit.

de morib9
Tartaro-
rum pag. 1.

illa progressi, felici successu primum in Asia, deinde in Europa imperium condiderunt, latèq; propagarunt. Nec enim tantum in Asia vastissimas regiones subegerunt, quæ unico nomine Tartariæ Asiaticæ s. magnæ veniunt, sed etiam in Europa, speciatimq; Taurica Chersoneso, Moldavia, Valachia, Russia, potentiam & vires suas magnopere auxerunt.

Cluverius
Introd.
Geogr. p.
351.

§. 4. Exinde constat Tartaros generatim alios esse Europeos, alios Asiaticos. Inter priores primum locum sibi vendicant Tartari *Precopenses*, qui ob ferociam & potentiam suam Polonis atq; Moscis præter cæteros noti sunt atq; metuendi. Appellantur autem *Precopenses* à receptaculo suo munitissimo, claustro Tauricæ, quod *Precop* insignitur à Lithvanis, teste Michalone Litvano. Quod clarius explicat *Cammerarius* ex Leunclavio; *Precopii* inquit, nominantur à voce *Precop*, significante fossam. Ubi hanc subjicit denominationis rationem: quippe ductis in isthmo à mari ad mare fossis, à continenti Tauricam Chersonesum, veluti abscindere conati sunt. Appellantur alio nomine *Krymenses*, sive ut alii scribunt, *Crimenses*, ab urbe quadam Tauricæ, quæ Græcis *Theodosia*, Lithvanis *Solbot*, Moscis *Krym* dicitur. Quæ urbs quondam florens & clara fuit in hac peninsula, excisa deinde à Lithvanis vicinis: ad quam tamen fortassis spectat *arx Crimensis*, quæ ibi conspicitur, atq; numaria officina est, quod memorat *Thuanus*. Orrum suum

lib. de Mo-
ribus Tar-
tar. p. 2.
Hor. Subc.
cent. II. p.
389.

lib. 67. hist.
p. 271.

suum debent *Zavolsbensibus* Tartaris, unde à Chri-
 stianis Tauricensibus in auxilium vocati, eos, quo-
 rum causa advenerant, invalescente sensim potentiâ,
 opprefferunt, adeo ut imperantes ab advenis & adju-
 toribus suis imperio & libertate penitus fuerint pri-
 vati. Ita submotis Christianis, nobilissimam Tauri-
 cam quasi suam reddidêre Barbari, in qua ex mente
Thuani, vinum nullâ adhibitâ curâ copiosè crescit,
 fruges nullo labore quasi sponte proveniunt, prata
 etiam hyeme virescunt. Hos excipiunt Tartari *Lip-
 kovienfes* Polonis subjecti in Lithvania. Vitoldus e-
 nim magnus Dux Lithvaniæ, devictis Tartaris *Trans-
 volgensibus* & *Nahajensibus*, totas earum tribus trans-
 tulit in Lithvaniam, qui adhuc hodie obstinatissimè
 sectam Mahumedanam retinere feruntur. Eos se-
 quuntur Tartari incolentes Russiam rubram, & i-
 psam hæctenus quoque Podoliam, veteris Sarmatiæ
 Europæ partem, totamq; olim Polonis subjectam,
 qui usq; ad Tyram fluvium porrecti sunt, Poloniæq;
 ambitu continentur, & *Czeremisfi* audiunt, nomine
 vulgari ac passim recepto. Tartari *Oczacovienses* in-
 ter Tyræ atq; Borysthenis ostia comprehensi, juxta
 Pontum Euxinum habitant, Turcisq; clientelam
 profitentur. Non aliâ lege degunt *Dobruccienses* tar-
 tari, Bulgaris propinqui, & inter Istrum Varnamq;
 fluvios siti, & pariter obnoxii imperio Turcarum.

Bud-

*Cluverius
p. 353. seqq.*

*v. Michæ-
lo Lituan.
p. 3. 4.*

*loc. cit.
Conf. Mi-
chælo Lit-
uan. p. 2.*

*Hart-
knoch de
Republ.
Polon. lib.
2. c. 2. p.
368. sq.*

De his vid.
Michalo
Lituanus,
Olearius,
Chuvall-
kouschius,
Cluverus,
Baudran-
dus, alijs.

Budzienses Tartari, sive Budziacenses versus Pontum Euxinum, protenso per solitudines tractu, colunt, Turcarumq; Imperio perinde ac Precopenenses sub- sunt, atq; metuendi vicinis Polonis, Moscis, Transyl- vanis, Hungarisq;. Præter hos sunt Tartari, qui Mo- schis parent, ut *Kalmucki*, quondam regno Bulgariae adscripti, & Europæ finibus comprehensi. Similiter atque *Nagajenses* cum regno *Astracanensi* ad Zare- um imperium pertinent, quorum pars in Europa habitant, pars in Asia collocantur. Qui inter Zarei & Persici dominatus fines interjacent, Tartari *Dag- bestani* seu montani nominantur, suosq; & proprios regulos agnoscunt, vicinaq; Imperia saltem comiter habent.

vid. Thua-
nus lib. 67.
p. 268. Aug.
Tornicellus
in Annal.
mundi ad
An. 1931.
Fullerus
Miscell. p.
170. &
commen-
tarij navi-
gationum
Batava-
rum ad
Sineses.

§. 5. Primus Tartarorum parens celebratur *Japhetus*, ex quo per *Magogum* prognati sunt *Scythæ*, qui ab ultimis inde Seculis in Asia intra & extra Ima- um confederunt. Ab his Tartari descendunt, qui à principio sub uno dominatu conjuncti, post latè au- cti, in varias regiones dominatusq; discesserunt, & ad Moschos, Persas, Indosq; protulerunt, ac nuper in Sinas quoque penetrarunt.

§. 6. Inter reliquos *Japheti* posteros asperi maximè & inculti manserunt *Tartari*. Mores eo- rum ab humanitate alieni, rudes & feri, sic tamen, ut si curam adhibeas, dociles perinde ac astuti anim- ad-

advertantur. Plerisq; etiam non malis vitæ institutis utuntur, & temperantiæ atqve frugalitati student, cum labore & motu valetudinem firmanant, ac fortitudinem magis excitant: molle delicatumq; vitæ genus ignorant, à luxu & ebrietas ac horrentes adeo, ut hæc quoque pro gravi inter eos crimine habeatur. Insuper illudunt comesationibus vicinarum gentium, quando eas sæpe somno oppressas & nihil timentes deprehendunt, vinciunt atqve abducunt. Adulteria averfantur, & mendicos in sua gente non ferunt, sed egentes quantâ possunt ope sublevant ac juvant, & in his talibusq; rebus natione magis quam ratione barbaros se ostendunt.

*Vid. Michalo
Lituan. passim.
Conf.
Thuanus l.c.*

§. 7. Non tamen quisquam autumat, tales esse Scythas militiæ & foris, quales sunt domi, propterea quod in hostico belli modum excedunt, & crudelitate laudem corrumpunt. Famem, sitim, æstum, frigus tolerant, sed aperto Marte raro decertant, & astu atqve insidiis maximopere enituntur. In prælio ad Liegniciam commisso non fortitudine sed præstigiis prævaluerunt, objectâq; nebula prospectum pugnantibus Silesiis ademertunt. Constat eos malarum artium ac veneficii non esse rudes, & tristia quoque exempla satis confirmant. Ob sævitiam quoque passim in-

*Pastorius
Flor. Pol. p. 88*

*V. Thuanus
ad An. 1566.
ubi memorat
à Tartaris in
Dacia infan-
tes dissectos,
verubus trans
fixos costis q;
devoratos
esse.
Michalo Lit-
vanus p. 17.*

fames sunt, quam Dacia, Hungaria, Polonia, Mo-
ravia, Silesiaq; abunde testantur. Præterea super-
bi sunt, & more Scythico immanes, & sævi, præ-
sertim erga captivos, quos plerumq; inclemen-
ter tractant. Quam ipsorum rabiem expertus est
Bajazethes, scabelli loco à Tamerlane habitus.
Nihilo mitius accepti sunt Moschi, quum Tarta-
ricam servitutem subierunt, eorumq; Dux uni-
cuique Tartarorum legato, prodire obviam, &
equestrum, quibus insidebant, habenas tenere, pe-
dibusq; illos prosequi, ac deducere in arcem, ge-
nibusq; flexis legationem audire cogeatur.

§. 8. Religionem Tartari cum Turcis atq;
aliis Mahumedanis communem habent, ean-
demq; constanter servant, imò assiduo conatu
propagant, persuasi se Deo præstare obsequium,
si quovis modo extinguant religionem à ritibus
suis diversam. Idcirco severissimè puniunt ho-
mines religioni Christianæ addictos, si deferun-
tur de religionis ipsorum contemptu, quovis modo
& signo, nutu digitoq; etiam declarato. Neque
locus actori & testi in aliquo judicio est, nisi capi-
ta Alcorani probè calleat intelligatq;. Sacerdo-
tes eorum ab avaritia, ambitione & voluptatibus
prorsus sunt alieni, atque à rebus Seculi penitus
abstinent, quo muneri suo sacrisq; rebus magis
inten-

intenti esse queant. Hi verò in conventibus ad religionem pertinentibus præcinunt, & legem interpretantur: sed arcana divina scrutari nefas judicant, &, ut veteres Germani, credere malunt quàm scire. Fanis suis, ad quæ non æris pulsu, sed certis verborum formulis invitantur, magnam exhibent reverentiam atque honorem. In quibus ipse præsens Chamus religiosum se juxta ac humilem ostendit, nec quenquam stipatorum ad latus suum stare, aut se aliis splendidiorē haberi patitur. Sedilium in templis nullus est usus, quippe paupertati & patientiæ ab ipsa infantia adsveti. Preces fundunt seriò ac devotè, genibus flexis, corporibus prostratis, & in faciem pronis. Et quò ardor animi sit excitatior atque constantior, orationem adhibent concisam, inq; ea hæc præcipua: *Soli Deo immortalī, Cond. tori cœli & terræ, præter quem non est ali-
lius, bonor & gloria in secula seculorum.* Quia verò compertum habent ad orationem seriā requiri quoque idoneam disponendi rationem corporis, ideo precationi adjungunt etiam statis temporibus jejunium. Ubi dignum est, quod Christiani imitentur: infideles enim isti in jejniis suis totos dies, non tantum ab opere &

verbis profanis, sed etiam ab omni cibo & potu abstinent, nihil præter Sacra curantes, idque rigore summo usque ad multam noctem producunt: cibum deinde capiunt non ad luxuriam sed viri-um refectionem. Tantum fervorem & cultum in gente hac feroci ac barbara nemo non mire-
tur.

*De his leg.
Michalo Lii-
van. cap. de
Tartar. reli-
gione.*

*Conf. de rebus
Tartarorum
Gromerus,
Neugebauer
Addatur
Leunclavius
in Pandectis
hist. Turc.
cap. 45. & in
supplemento
annal. Tur-
cic.
V. Thuanus
lib. 67. hist.
p. 269.*

§. 9. Supremus inter Tartaros est Chanus, siue ut alii scribunt Chamus, qui & alio nomine Sarus audit. Proximus ei præfectus militiæ, Galga dictus, qui honor ad fratrem Sari natu maximum moribus eorum defertur. Hinc sequuntur filii Chani, Soldani appellati: post quos Senato- res, quos Atalos vocant. Inferiores sunt iudices in oppidis, nomine Hajonati; quibus succedunt Marli, qui sunt nobiles, & dignitate præcipui in- ter hos populos ac gentes. Tribus, siue nationes, in quas distributi sunt Tartari, hordæ nominan- tur, cujus vocabuli jam dum memini, & sæpe oc- currit in literis, quibus publici nuncii adferuntur.

*Conf. Micro-
lii Syntagma
hist. p. 1195.
seqq. ubi Se-
riem Cha-
morum inve-
nies.*

§. 10. In successione Imperii hunc obser- vant ordinem. Si quando Chamus decesserit, jus succedendi proximè spectat ad ejus fratrem Gal- gam, quo moriente, regnum ad defuncti Chami filium natu majorem defertur, atque adeo hoc casu jus ætatis majoris filiorum attenditur & va-
let;

let: nam reliqui filii præter nomen honoremque Soldani nullam capiunt ditionis paternæ partem. Usque eò gnari sunt prudentiæ civilis Tartari, ut per divisiones crebras Imperiorum potentiam ac robur mirum quantum diminui & labefactari, intelligant.

§. II. Reditus Principis non magnos colligamus licet multis indiciis atque argumentis. Quid enim extorqueant populo inopi & prædis assueti? Et si enim crebras irruptiones faciant in regiones vicinas, inde tamen parum auri & argenti exportant, imò & magis hominibus jumentisque abigendis captivisque ducendis quam aliis rebus inhiant. Cumque à fastu & luxu alieni sint, quæ duo mala mortales unice insatiabiles auri reddunt, contemnunt divitias, & voluptates alias quarunt. Sunt tamen nihilominus quædam, quæ Imperatori obveniunt ac debentur. Præterquam enim, quod portoria cum Turcis communia habeat, omniaque metalla, præter aurum, sibi vindicet, decimas quoque ex omnibus prædis capit, atque ex singulis captivis majoris pretii tres, ex vilioribus unum aureum, more suo deposcit. Adhæc à Turcico Imperatore, cui filius datur obseques, quinquies mille & quingenti aurei ei quovis anno persolvuntur. Quæ si æstimantur & exiguntur

*Aureus vul-
gò Zechinus
dicitur.
Leg. Thuan.*

tur ad reditus reliquorum Europæ principum,
exigua sunt, aut momenti certè non magni.

§. 12. Magis abundat militibus, qui ad diem
sub pœna capitis indictum celerrimè conveni-
unt, uno saltem in quovis tugurio remante. Ne-
que hic tenera ætas excusat, quandoquidem sic
ab infantia assuefiunt, & ad rem bellicam præpa-
rantur, & equitarui semper student, nec decrepi-
ti ab hac consuetudine desistunt. Vexilla mili-
taria duplicis habent generis, alterum principis
ex holoserico à Turcarum Imperatore missum,
alterum commune, quod est hasta cum depen-
dentibus inde crinibus ac setis. Arma sunt levia
& ad celeritatem apta, unde & flumina quacun-
que faciliè transire possunt, periti admodum na-
tandi. Equos, quò ad expeditiones bellicas sunt
aptiores, domi vehiculò jungi nefas est. Fatiga-
ti itinerum laboribus, allium comedunt & lac e-
quarum bibunt, idque cum primis in deliciis ha-
bent, quasi hæc idonea expeditaque ratio sit viri-
um corporis reficiendarum. Hinc quidam ex
epistolis Tartaricis memorant, Tartarorum Im-
peratorem alere equarum candidissimarum de-
cem millia, quarum lac summo studio collectum
bibere delicatius; potus loco habere soleat.

§. 13. Ad bella eorundemque molestias perfe-
ren-

*Vid. Mich.
Litvan. &
Thuanus l. c.
Conf. Atlant.
Min. Mercat-
oris p. 153.
626. 629.*

tendas præ aliis populis sunt perquam apti acido-
nei. Assivefacti enim a teneris frugalitati & patientiæ,
quippe quod mollem educandi rationem averfen-
tur, corpora sanè sortiuntur valida satis atq; robusta.
Et licet dubium videri posset, quod narrat *Thuanus*,
reperit aliquando inter cætos Tartaros quendam
tantæ magnitudinis, ut jacens humi cadaver viri
stantis umbilicum attingeret, & frons ejus viginti
quatuor digitos lata esset: hoc tamen certum est,
Tartaros plerumq; corpore vasto & robusto emi-
nere. Quæ etiam causa est, quod Tamerianes cu-
preum mortarium arundinis emissæ spiculo perfo-
dere potuit. Cum itaq;ve natura eos tam fortes ac
robustos reddiderit, nefas judicant, mulieribus suis
ullum in se dominium aut libertatem permittere,
quas severius aliquantum atq;ve acerbius tractant.
Hæ siquidem domi semper, quasi caveis inclusæ, ma-
nere coguntur, ab omni conventu reb; q; forensib;
remotæ. Nec quidem hospitibus aut amicis domi
se conspiciendas præbere audent, propterea quod
hæc ratione variis malorum irritamentis causam
dari existiment.

§. 14. Hæc de gente Tartarorum breviter stri-
ctimq; commemoravi. Deus bellorum Modera-
tor & Arbitrator patriam barbarorum incursionibus
vastatam benignè respiciat, captivosq; sub jugo Scy-
tharum gementes eripiat, ac restituat in pristinam li-
ber-

ad A. 1575.

*Camerar.
hor. Subc.
Cent. 1.
pag. 380.
Conf. At-
lant. loc. c.*

*Michalo
Lirvanus.*

bertatem. Inviētissimo ac Potētissimo
Regi JOANNI III Serenissimæq; Reipu-
 blicæ Polonicæ, consilia prosperet, expediti-
 onesq; contra barbaros susceptas fortunet, & fero-
 ces immanissimosq; hostes debilitet frangatq; & si
 quid optare licet, excindat, penitusq; extingvat.
 Reddat nobis Polonica virtus ac recuperet propu-
 gnaculum munitissimum Cameneciam, reperatq;
 & alia indignissimè ablata ac iniquissimè erepta,
 quò patria dudum afflictâ, quæ ob communem
 Christianorum salutem bello sacro & sociali se jun-
 xti, dignum operâ præmium recipiat, viresq; suas
 demum colligat & exoptatâ deinceps pace fruatur.
 Referat seculo nostro Olerdum Rex magnanimus
JOANNES III, & pari fortunâ expeditiones
 conficiat, barbarosq; pacis impatientes vel debeat
 vel profliget, & Tyram, Borysthenem Thanaimq;
 in regni fines describat ac redigat, lætusq; victori-
 is & felix **Reipublicæ** præsit, viciniamq; à Scy-
 this repurgatam cum ditione Polonici nominis
 denuo jungat, & more majorum teneat
 ac potenter defendat.

*Vid. Kojala-
 vicius hist.
 Litvan.
 Part. I. lib. 8.*

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.